

respublica defendere sustinereque non posset. Erant in Rhetico exercitu Joannes Jacobus Triultius, ut supra dictum est, & Giufredus Carolus consiliariorum Mediolanensium magister, quem praefectus regius Mediolano misserat rogatus ab Senatu, ut aliquem regis sui nomine in Rhetis vellet conficiendis induitiis adesse. uterque eas induitias fieri, nisi prius ea de re ab rege literæ venissent, noluerat, atque in eo perseveraverat: itaque fœderi scribendo neuter eorum affuit. Triultius postridie ejus diei cum suo comitatu Mediolanum abiit: ei Grittus legatus per omnes reipublicæ fines Patrum jussu comes fuit. Nonnis autem juniiis, qui dies postridie quam induitiae firmarentur fuit; cum Aloisius rex in fœdere cum Ferdinando rege, cumque republica fanciendo id pertinaciter caput inseri voluerit, se non admonito nullam omnino pacem fieri posse: uti societas ea lege firmaretur, fœdusque conficeretur, Senatus tandem censuit. Pauloque post, quoniam induitiis in Rhetico firmatis, Postoinam in Istris oppidum Cornelius legatus ceperat, uti oppidum Postoina Maximiliano restitueretur, idem Senatus potentibus Germanis jussit. Interim milites equitesque e Rhetis & Carnis in hyberna sunt deducti, oppidaque capta præfidiis communita: muri eorum, quos tormenta dejecerant, atque arces in meliorem multo formam uti reficerentur, cura præfectis tradita. quorum omnium ratione habita, oppidorum fines centum millia passuum in longitudine patere, Cornelius legatus in Senatu dixit. Post quem, redeuntem ad urbem Livianum, in Bucentauro navi Lauredanus & Patres exceperunt: pauloque post & Portus Naonis oppidum, & jus comitiorum ei posterisque ejus sunt ob rempublicam bene gestam dono data. Cornelius etiam illum lautioribus in epulis, cum principibus civitatis, & fœminarum nobilissimarum choro, diem unum domi suæ habuit.

Cognitis Aloisius rex induitiis, vehementer perturbatus questusque est cum legato reipublicæ Antonio Condulmario, non se id ab ea meruisse, ut responso ab se non ex-